


10

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**IN SIGNI  
CLYSTERVM  
VTILITATE ATQVE NOXA,**  
QVAM,  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA  
SVB PR<sup>E</sup>SIDI<sup>O</sup>  
**DN. D. HIERONYMI LVDOLF,**  
FACVLT. MED. H. T. DECANI, FAC. MED. ET PHIL. ASSESS. ORD. ET PROF.  
CHTM. PVBL. NEC NON CIVIT. ERFORD. PHTSICI,  
PATRONI ET FAVTORIS SVI OMNI HONORIS  
CVLTV DEVENERANDI,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI,  
PVBLICO ERVITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**THEOPHIL. ERNEST. THEODORVS  
RENTSCH, Vinariensis.**  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSV.  
DIE VII. NOVEMBR. MDCCXLVIII.  
ERFORDIAE, typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.





## PROOEMIVM.



eleberrimum & frequentissimum remedium in Gallia, Clysterem puto, in Germania a plurimis abhorretur, a multis pro inutili habetur, quidam suspectum putant, neque de sunt qui noxium hoc remedium declamat. Licet autem Moliere risum movere tentaverit, quod medicis Gallis nil nisi Venæsectio, vomitorium, purgans & Clyster in mentem veniat ad curandos graviores morbos, tamen negari non potest, quod hæc remedia legitime & caute adhibita in plurimis casibus exoptatissimam restituant sanitatem, præcipue Clysteres in periculosisimis morbis insignem atrocissima avertendi symptomata præstant virtutem. Optandum itaque, ut Germani egregio huic medicamento

A 2

mento

mento magis assuescant. Nescio autem qua ex pudicitia Clysteres abhorrent & qua ex ignorantia istos inutiles habent. Quod suspectos istos putaverint, in causa est fera eorum applicatio & quod non nisi ultimo fere mortis momento ad eorum usum sese accingant, hinc saepissime fero ista medicina parata mors eveniat, id quod clysterem effecisse suspicantur. Noxam autem Clysteres omnino inferunt, ubi miscent acria quæ tamen cavenda, & emollientes applicant, ubi stimulus & irritatio indica ta. Si autem medicus legitimo tempore debitis cum cautelis eorum usum suadet, certe non solum gravissimis morbis & symptomatibus medelam afferet, sed & saepissime mortem ipsam avertet. Non displicebit itaque benevolo Lectori, si in specimine hoc inaugrali quod mihi exhibendum incumbit, Clysterum in variis & periculis morbis usum, corrumque, si incaute adhibeantur gravem noxam explanare annitar, annuat Divinum Numen hisce conatibus, ut omnia ex voto succedant.

§. I.

## §. I.

**C**lyster in genere est medicamentum quod manu chirurgica per anum in intestina crassa deferatur.

## §. II.

Variat hoc remedium pro diversitate morborum & symptomatum, quibus medicinam parare intendimus. Præcipue autem clysteres dividunt in siccros & humidos.

## §. III.

Clyster siccus vocatur ubi fluidum siccum artifice in intestina tam crassa atque tenuia per anum protruditur. Sic fumus tabaci ut plurimum in usum vocatur. Non raro autem aer mediante machina pneumatica per anum propulsus intentioni medici ex asse satisfacere valet.

## §. IV.

Clyster humidus vocatur ubi fluidum ad intestina crassa defertur. Pro diversis autem indicationibus modo utimur aqua simplici tepida, modo addimus corpora vel salina vel sulphurea. Sic sumimus lac, jusculla carnea, decoctum prunorum dulcium, hordei, vel alia modo emollientibus & temperantibus, modo resolventibus & stimulantibus mixta.

## §. V.

Effectus siccorum est extensio intestinorum & stimulus fibrarum intestinalium. Utimur isdem præcipue in ileo & apoplexia.

## §. VI.

Quod siccii extensionem intestinorum efficere valent

A 3

leant ex principiis physicis junctis cum physiologicis  
satis superque patet. Ex physica enim discimus aerem  
in cavitatem quandam protrusum, quoque augere elas-  
terem aeris jam ibi praesentis. Elater autem hic au-  
etus majorem quoque nunc vim exercet in parietes re-  
sistentes, qui si sunt molles vel elasticci, ab interioribus  
versus exteriora moventur, & hinc cavitatem reddunt  
majorem, id quod extensionis nomine venit. Ex phy-  
siologia scimus aerem haerere in intestinis, qui a pres-  
fione aeris externi & parietum intestinalium resistentia  
in æquilibrio tenetur, & quod parietes intestinalium  
sint molles & elasticci, hinc addito aere parietes hi ver-  
sus exteriora cedunt & cavitatem ampliorem reddunt,  
& sic extenduntur. Nunc autem fumus tabaci absque  
aere in intestina deferri nequit, & per machinas pne-  
umaticas aer ipse in intestina protruditur. Ergo extensio  
intestinalium quoque sequitur. Quod autem §. III. di-  
ctum, clysteres siccios non solum ad crassâ sed & tenuia  
deferri, in dubium vocare posset, ob valvulam coli,  
qua regressum contentorum ex crassis impedit in te-  
nua. Quilibet vero diversum solidorum & fluidorum  
humidorum agendi modum ab actione fluidi aerei per-  
pendens facile ingressum fluidi talis siccii in intestina  
tenuia, eorumque extensionem concedet. Nec minus  
nunc patet, qua ratione talibus clysteribus ileus curari  
possit. Consultit enim iste morbus in denegato transitu  
fecum per tenuia & crassâ intestina ad anum. In cau-  
sa est sepissime infarctus fecum ob earum nimiam du-  
ritiem, non raro involutio & circumvolutio intestini  
ilei, rarissime autem intestini hujus inflammatio.

Quod

Quod fecum promotionem juvare, involutionem & circumvolutionem curare possit, hæc extensio, nemo negabit. In inflammatione quidem magis nocet quam prodest, sed rarissime inflammatio ansam illo præbet, & præsto sunt alia remedia.

## §. VII.

Stimulum autem efficiunt tam ob extensionem, quam ob acrimoniam volatilem qua fumus tabaci gaudet. Omnes enim fibræ elatice extensa iterum sese constringere conantur. Præcipue autem fibræ elatice vitales, si tensæ, ex vitalitate magna vi sese constringunt. Salia autem acria irritando fibras contractionem intestinorum promovent. Hinc patet quod apoplexiæ quoque medela per clysteres siccos afferre possit, facta enim tali extensione & subsecuta intestinorum contractione motus fluidi nervei haud levis oritur, quo mediante stases effectum hunc causantes expediuntur.

## §. VIII.

Effectus clysterum humidorum præter extensionem intestinorum crassorum reperiuntur in dilutione humorum acriorum, promotione fecum, putredine quæ in toto corpore ex fecum retentione oriri potest arcenda, emollitione intestinorum & vicinarum partium, convulsionibus & deliriis avertendis, stimuli intestinorum augmento & nutritione totius corporis.

## §. IX.

Extensionem intestinorum efficiunt eodem modo ac clysteres siccii, quia addito clysteris humido aer in intestinis hærens in arctius cavum comprimitur & magis

gis elasticus sic evadit. Quod humorum acrimoniam clysteres humidi temperent nemo negabit, qui scit acres fieri nostri humores potissimum ob concentracionem salium. Nunc autem aqua inter omnia optimum erisit salium diluens, diluta salia vero actionem suam fortiori amittunt. Clysterum humidorum potissimum ingrediens est aqua. Ergo & tales clysteres acrimoniam in intestinis harentem optime tempore valent. Eo melius hoc fit si mucilaginosa salia acria involventia clysteribus adduntur.

## §. X.

Fecum promotio & evacuatio facile intelligi potest, si causas perpendimus fecum transitum per intestina & evacuationem impedientes. Hæ autem potissimum sunt durities & siccitas fecum, dein strictura fibrarum intestinalium, quæ ut plurimum ab ipsarum fecum infarctarum acrimonia dependet, mediante qua cayum canalis intestinalorum coarctatur, ut tali ratione feces ex ampliore in angustiorem canalem permeare cogantur, quod præcipue in fecibus durioribus & siccioribus non nisi gravi conamine fieri potest. Rarissime vero fecum in intestinis subsistentia quoque a paralyse & debilitate intestinalium fibrarum dependet. Quod attinet fecum duritiem & siccitatem, ista non solum aquosa clysterum parte tollitur sed & si temperate resolventia junguntur optime obtinetur. Strictura canalis intestinalrum aufertur tam per extensionem intestinalium, quam ob acrimoniæ temperiem, dein etiam ob emollitionem fibrarum intestinalium.

## §. XI.

## §. XI.

Quod putredo totius corporis a retentione fecum oriunda clysteribus arceri possit, ex eo demonstari potest, quod talis putredo eveniat a partium sulphurearum per salia acria destructione. Tales autem partes destructae ex secum retentione communicantur partim corpori nostro, partim vero in massa sanguinea a salibus acribus ex fecibus in intestinis stagnantibus in corpus delatis, destruendo partes fanguinis sulphureas oriuntur. Clysteribus autem humidis acrimoniam temperari §. IX. jam demonstratum, ergo & necessario putredinem tam in intestinis quam toti corpori communicatam arceri posse, abundanter patet.

## §. XII.

Effectum, quem præstant clysteres humidi in emollitione intestinalorum nemo negat, quia emollitio fit imminuendo corporis cujusdam cohæsionem. Clyster humidus autem partes suas tam igneas quam aquosas porrigit fibris intestinalibus, hæ itaque leviori intermedio gaudentes, minorem possident cohæsionem. Ergo & molliores evadunt.

## §. XIII.

De eo autem quod §. VIII. dictum, nempe quod vicinas partes simul emolliant clysteres humidi, magis dubitari possit, cum haud pauci negent transitum fluidi humidi ex intestinali in reliquias corporis partes, licet nunc iste transitus infra satis probatus existat, tamen ex fibrarum nostrarum connexione & consensu demonstrari potest. Fibræ enim intestinalium strictæ tendunt connexas fibras & hæ iterum remotiores.

B

Hac

Hac strictrura per clysteres humidos sublata cessat & tensio fibrarum connexarum, quam sequitur relaxatio, quae autem nil aliud est quam emolitio.

## §. XIV.

Convulsiones & deliria quoque avertere possunt clysteres humidi, quia dependent a motu irregulari & affluxu spirituum nimio. Hoc autem scepisime efficiunt feces acres in intestinis stagnantes, irritando enim fibras intestinalium maxime sensibiles toti nervoso generi talem cociliant motum & affluxum. Haec autem acrimenia clysteribus humidis tollitur. Et licet talis motus irregularis & affluxus spirituum major originem suam fecibus acribus in intestinis haerentibus non debeat, tamen clysteribus humidis curari possunt, quia emollient intestinalia & sic connexae fibrae relaxantur, ut sic per consensum fibrae irritatae tali vi, qualis ad convulsiones & deliria requiritur agere nequeant. Hinc etiam fatus in plantis pedum talibus gravioribus symptomatis medelam afferunt. Effectus autem clysterum diutius quam fotuum durat, hinc illi his merito praferendi.

## §. XV.

Stimulum fibris intestinalibus per clysteres addi posse ex eo patet, quod intestinalia per clysteres extendentur, & sic si robur vitale sufficiens adest, ex vitalitate subsequitur fortior contratio. Ut autem relaxata una fibra altera quoque relaxatur, sic contracta una contrahitur & altera fibra, ut tali modo in toto corpore major spirituum affluxus & motus excitari possit. Ubi itaque hoc indicatur clysteribus quoque acria sunt miscenda, sic enim non solum ob extensionem intestinalium

norum sed &c ob irritationem per acia factam major sequitur contractio & ob consensum in toto corpore major motus spirituum.

## §. XVI.

De eo autem magis dubitari possit, quod §. 8. dictum, clysteribus humidis totum corpus nutriti posse, quoniam existentiam vasorum lacteorum in intestino colo quam plurimi negant, eamque ob rationem dubitant, an nutriendis quoddam in massam sanguineam per clystera perferrri possit. Hisce autem non obstantibus firma tamen manet corporis nostri per clystera nutritio. Quia primo celeberrimi Anatomici chirurgi & medici affirmant & demonstrarunt vasorum lacteorum in intestino colo praesentiam, & experimentis sufficientibus, ubi corpus solis clysteribus nutrientibus conservatum fuit, asserta roborant. Dein etiam nemo in intestino colo copiam notabilem vasorum lympham pro lubricandis fecibus secernentium negabit. Et ultimo in tali statu quam maxime præternaturali actio valvulae coli ea, ut regressum contentorum ex colo in ileum impedit pleno jure in dubium vocari potest. Quod attinet vasorum lacteorum in intestino colo praesentiam, istam in brutis affirmant WEPFER, respons. ad Paul. p. 106. GLISSONIVS de ventriculo & intest. c. XI. p. 19. In cane viderunt J. H. PAULI anat. BIL. NEEDHAM de form. fatus C. I. In Asino vidit MALPIGHIVS de glandul. conglob. p. 5. In equo HEISTER Ephem. Nat. cur. Cent. 6. obs. 26. In homine talia vasa lactea Dno MERY de istis dubitanti demonstravit J. H. WINSLOW. vid. ej. Anatomische Ab-

handlung von dem Bau des menschlichen Leibes Tom.  
 III. p. 510. Quod quoque confirmant BOHN. in circulo  
 anatomi. p. 160. WHARTON Adenogr. c. 8. WALAEVS de  
 motu chyli p. 68. HIGHMORVS apud Spigelium L. I. P. II.  
 p. 28. RUDBECK de vas. seros. c. 6. p. 296. NVCK Adenogr.  
 c. 9. p. 130. Pauli Respons. ad dub. anat. p. 106. SCHELL-  
 HAMMER Ephem. nat. cur. Dec. Ann. 3. obs. 92. Usum  
 eorum in faucium vulneribus expertus est GAREN-  
 GEOT. Chir. præct. Tom. I. p. 183. MORGAGN. Advers.  
 anat. III. anim. 17. STALPART. van der WIEL observ. 25.  
 Cent. 1. Demonstrant idem clysteres inebriantes vid.  
 SANTORIN. observ. anat. p. 125. HOMBERG bisloire de  
 l'academie des sciences 1700. obs. 3. RHOD. observ. med. 38.  
 Cent. 1. Et si quoque in nonnullis hæc vasa deficiant  
 tamen per vasa lympham in intestina secernentia ab-  
 sorptio fluidi nutritii ex clysteribus fieri potest. In ta-  
 li enim statu ubi per fauces alimentorum & potulen-  
 torum ad ventriculum & intestina tenuia ingressus de-  
 negatur, vasa præcipue secernentia ob defectum flu-  
 dorū evacuata reprehenduntur, hinc fluido quod ex  
 intestinis crassis ista ingredi conatur, nulla datur resi-  
 stentia ergo omnino in ita penetrare valet. Ultimo  
 autem superest quod non obstante valvula coli, tamen,  
 tali statu præternaturali præsente, clyster nutritus ad  
 intestina tenuia deferri possit. Ob defectum enim  
 nutritionis insignem perit ista valvulae vis, ut conten-  
 torum ex colo in ileum ingressum impedire queat.

### §. XVII.

Sufficere hæc generaliter adducta possent ad in-  
 signem clysterum utilitatem demonstrandam, sed quia  
 in

in arte medica palmam omnibus praeripit experientia  
in casibus specialissimis, haud abs re erit praecipuos  
morbos, in quibus clysteres maximam partem saluti  
restaurandae auxilium praestant, percurrere, dein quo-  
que de noxa haud levi clysterum inconcinne adhibito-  
rum optima erit dicendi occasio.

## §. XVIII.

Primo loco eorum usus insignis patet in alvi fre-  
quentius contingentibus obstructionibus, quae utplu-  
rimum originem suam debent malo hypochondriaco,  
ibi enim modo bilis neque in decenti quantitate neque  
qualitate in intestina evacuata feces nimis duras & ad  
promotionem ineptas reddit, modo vasa lympham pro  
lubricandis & emolliendis fecibus fecernentia obstru-  
cta in causa sunt, modo utrumque causam obstructio-  
nis hujus chronicæ praebet. Si hocce curare conantur  
per purgantia, longiori tempore haud levis paratur  
noxa. Nam posito hoc fieri per pulveres & pillulas  
resinosas, intentioni quidem semper satis fit, sequitur  
enim anxia quædam & dolorosa alvi depositio, tractu  
temporis autem malum hoc hypochondriacum ad  
sumnum evehitur gradum, quia talia resinoſa ob acri-  
moniam humores bonos nimis resolvunt, simulque  
omnia vasa insigniter stimulant, sicque istud quod in-  
ter omnia talibus in morbis necessario desideratur  
lympham puto, evacuant, viscidior ergo pars remanet,  
& ob contractionem vasorum, quae a stimulo nimio in-  
ducitur ad itasin & infarctum majorem efficiendum præ-  
paratur. Mitiiori incedunt via qui salibus alvum apertam  
reddere conantur, sed non possunt evitare lymphæ hisce

B 3

in

in subjectis longe desideratissimæ evacuationem, utpote quæ ab hisce salibus fluidior &c ad evacuationem aptior redditur. Optimo procedunt curandi modo qui remediis viscera blande aperientibus utuntur talibus in casibus, sed quia effectus, quem statim desiderant ægroti, neutquam tam cito evenire potest, imo paucis remedia malum hypochondriacum certo & apte tollentia nota sunt, paucissimi vero in manibus habent, præ omnibus laudandus erit clysterum effectus. Hi enim feces duras emolliunt, siccitati intestinorum resistunt acrimoniamque temperando strictroram in intestinis impediunt, ergo fecum transitum optime per intestina promovent. Potest & paralysis intestinorum, quod tamen raro sit, causam huic obstructioni præbere, quia feces vi motrice denegata subsistere coguntur. Hocce in statu acria stimulantia clysteribus addi possunt.

## S. XIX.

In colica sive sit spasmodica vel flatulenta vel dependeat ab inflammatione clysteres non satis laudandi. Si proveniat a spasmodica strictrura intestinorum clyster emolliens fibras strictras relaxat, dolorem sistit, & si causa hujus strictræ in ipsis intestinis haeret, istam temperando acrimoniam tollit. Si flatus intestina nimis extendant, per clysteres in inferiori intestini loco extensio fit, & sic flatus versus hunc locum ruunt. Conducit tamen hoc in casu simul addere leniter stimulantia, ut evacuatibus flatibus intestina ulteriori extensioni resistere valeant. Ubi inflammatio dolores colicos efficit, clysteres fibras intestinorum tensas emolliunt, sic dolor cessat, immo & simul staseos expeditionem juvant, ut gangræ,

gangræna itaque & sphacelus intestinorum optime clysteribus averti possint.

## §. XX.

Calculo laborantes tam intuitu paroxysmi quam promotionis calculi haud leve sibi promittere possunt auxilium. In paroxysmo enim urgent insigne dolores, qui a tensione fibrarum parietes viarum urinariarum constituentium, quæ fit per calculum, dependent. Emollitis autem per clysteres fibris intestinalibus ob connexionem quoque relaxantur viarum urinarium fibræ, & tensione hac sublata cessat dolor. Similiter fibræ tales relaxatae calculo leviter resistunt, sic, quia ut plurimum ab urina retenta premitur, sèpissime calculus post clysteris applicationem excluditur.

## §. XXI.

In Ileo jam quidem laudatus est clyster siccus, suadendum tamen ut antea clyster humidus applicetur. Emolliit enim hic fibras intestinales ut dein applicato siccо eo melior & levior extensio intestinorum consequi possit. Præcipue autem clyster humidus applicandus, si intestinorum inflammatio ileum effecerit, tali enim statu extensio, quæ fit per siccos clysteres neutiquam locum habet, sed emollientibus clysteribus infinitendum, quibus relaxatio intestinorum efficitur, ut dolor primario cesseret, dein etiam stasis expediti valeat.

## §. XXII.

In apoplexia quoque non de nihilo sunt clysteres humili. Emolliunt quidem fluiditate sua intestina, addi tamen hocce fluido possunt acria quæ soluta intestinis adhaerent in ista penetrant & irritatione hac motum spiri-

spirituum excitant, ut sic tōto in corpore iterum fluidi  
nervei decens actio restituī possit.

## §. XXIII.

In Diarrhoea clysteres humidi optime conducunt, a quacunque enim causa proveniat semper effectus quos acrimonia in intestinis exhibere potest, sunt præcavendi, per tales clysteres autem acrimonia diluitur & antequam per vasa resorbentia ex intestinis toti corpori communicari possit, evacuantur. Sæpiissime diarrœa ab acrimonia ipsis in intestinis hærente causatur, quo casu ipsa causa per clysteres humidos auferre potest. Quidam a mespilis ingestis gravem incurrebat diarrœam, conjectura rationi superstructa suadebat purgantia & clysterem humidum, quibus applicatis prodibat globus mespilorum ovum æquans, hic certe in intestini coli parte quadam stagnaverat, & acrimonia sua intestina irritante contentum in intestinis ad exitum promovebat.

## §. XXIV.

In Dysenteria omnibus aliis medicamentis clysteres humidi sulphurei juncti palmam præcipiunt. Ju scula enim & medicamenta huic gravissimo morbo ut plurimum in crassis occurrente, per os assunta absorbentur a copia vasorum lacteorum in tenuibus præsente, ubi econtrario clyster statim ad locum affectum delatus desideratum exhibere valet effectum. Efficit autem hunc morbum insignis acrimonia intestina corrodens & inflammationem istis concilians. Clysteres vero humili præcipue sulphurei hanc acrimoniam diluendo & falso obducendo temperant, simulque ob emollitionem quam

quam præstant in fibris intestinalibus, dolores a strictura fibrarum evenientes, sistunt, immo statim expeditunt & inflammationem discutunt. Extant quidem casus ubi aliquibus clysteribus applicatis, qui autem in corpore retinebantur, ægroti morte correpti fuerunt, id quod clysteribus tribuebant, sed reperiebatur intestinum colon ita erosum ut perforatum esset. Tali autem caso etiam nulla alia medicina parata juvare valet, & se ipsum ægrotus accusare debet, quod occasionem optimam e manibus dimiserit.

## S. XXV.

Ascarides quoque optime extirpari possunt clysteribus & quidem saponaceis & acribus. Pervenit enim clyster statim ad horum infectorum domicilium, fordes a quibus nutriuntur evacuat, eorum cohæsionem cum intestino recto & sphinctere ani diluendo tollit, a partibus acribus necantur, & stimulo intestinali aucto evacuantur.

## S. XXVI.

Insignis autem reperitur clysterum humidorum usus in febribus acutis, quibus certe plurimi in Gallia, si ad clysterum applicationem tam prompti non essent, succumberent. Hisce in morbis enim ob calorem insignem lympha in toto corpore nimis dissipatur, ut tanta quantitate quæ lubricationi fecum infervit, in intestinum colon fecerni nequeant, hinc feces ibi subsistunt, ex acrimonia in putredinem abeunt, salia volatilia acria cum putridis salphureis per vasa vel chylifera vel lymphatica resorbentur & corpori commiscentur, ut videamus alvi in tali morbo obstructionem subsequi, in-

C

quietu-

quietudines, vigilias, augmentum caloris, prostracionem virium, irritationes, deliria & convulsiones, immo ipsam mortem. Quæ omnia statim applicato clysterè præcaveri possunt. Humeantur enim feces & ad exitum aptæ redduntur, diluitur acrimonia, & putredo arctur. Abhorrent medici quidam clysteres eam ob rationem, quod videant alvi apertione nimiam impedire crises, immo diarrheam in talibus febris valde periculoſam inveniant. Hinc omnia purgantia disuadent, & quidem recte, quia si sunt resinoſa stimulum & resolutionem follorem inducunt, quæ eadem dicta periculoſa inducunt symptomata, si sunt salina serum bonum nimis fundendo quoque dissipant. Sed alia ratione agunt clysteres humidi. Hi enim statim ad feces deferuntur & lubricas istas reddunt, cum per os assumta diluentia in intestinis tenuibus a vasis lacteis absorbentur. Detrahitis tali modo fecibus, putredo quoque & irritatio in intestinis cessat. Deliria jam præsentia & convulsiones simul curantur ob emollitionem fibrarum intestinalium factam & strictrarum fibrarum totius corporis ex consensu quoque sublatam,

## §. XXVII.

Febres biliosæ præ omnibus aliis febribus connexam habent alvi obſtructionem pertinacissimam, quia primo hisce in febribus ob calorem insignem ficitas intestinorum sequitur, dein ob bilem neque decenti quantitate neque qualitate fecibus admixtam, indurantur feces, intestinaque quæ jam ob ficitatem ad conſtrictionem furent prona, stimulando coarctant, putredo oritur,

oritur, ex quibus omnibus in febre biliosa licet levi gravissima oriuntur symptomata, inquietudines, dein vigiliae, deliria, convulsiones & ipsa mors. Corripiebatur juvenis viginti quatuor annorum febre biliosa haud gravi, ob neglectam autem alvi aperitionem die decimo incidebat in deliria, quæ cum per octo dies durassent, ægrotó mortem minabantur. Consultus desuper alius medicus ex causis prægressis & more hujus febris ab initio gesto, uti & vigore istius ægroti alias, optime perpendens, quod hæcce gravia deliria non a valore febris dependere possint, & hinc justam in causam inquirens, inventis abdomen valde tumidum simul tamen molle, statim questionem movit, an & quotidiu nullam habuerit alvi aperitionem? & response secura, quod præterlapsi sunt duodecim dies, causam & curam horum deliriorum manifestam habebat. Applicare nempe jussit clysterem, qui insigni copiæ fecum nigrarum & gravi factore gaudientium viam apertam fatis præbebat quo facto quietus reddebatur ægrotus, & deliria imminuebantur, quæ dein in usum vocatis vesicatoriis in totum cessabant & ægrotus vitam & sanitatem recuperabat. Praferendi tali in statu sunt clysteres quoque eam ob rationem reliquis alvum aperientibus remediis, quoniam delirio corruptis pauca per os propinare valeamus, clysteres autem invitis ipsis applicare possumus.

## §. XXVIII.

In purpura quoque si urget alvi obstrutio tuto adhiberi possunt clysteres. Rejiciunt eosdem, quia vident diarrheam supervenientem eruptionem exan-

C 2

thema-

thematum impedire, immo ipsorum exanthematum jam eruptorum retrogressum efficere, quoniam impietu fluidorum versus intestina audito, deficit vis exanthemata ad peripheriam pellens. Sed toto coelo differt diarrhoea ab alvi per clysteres apertione tam ratione causae, quam symptomatum subsequentium. Si diarrhoea in purpura adest, testatur de graviori acrimonia lympham majori gradu fundente, intestina fortius ad ejusdem evacuationem stimulante. Ex acrimonia graviori praefente etiam purpura periculosior est dijudicanda, cuius eruptio lympha per alvum subtracta difficulter redditur, vires prosternuntur, & vigilæ inducuntur, & deliria ex continua irritatione sequuntur. Clyster præcipue emolliens autem neque fundit lympham, neque illam a peripheria intestina versus determinat, neque intestina irritat, sed e contrario feces stagnantes & acres reditas evacuando acrimoniam cujusdam communicationem impedit, intestina relaxando deliriis contrariatur, quietum exhibet ægrotum, vires conservantur, ut eo melius possit sperari exanthematum eruptio & securior sanitatis recuperandæ medela. Neque enim adeo frequenter applicantur clysteres ut diarrhoeam post se trahere valeant.

## §. XXIX.

Idem affirmari potest de usu clysterum in variolis. Similiter nonnulli eorum usum hocce in morbo abhorrent, quoniam diarrhoea quoque deprehenditur periculosa. Sed eadem rationes §. præc. in medium prolatæ usum clysterum suadere valent, insuper addendum primo quod alvi legitima apertio eruptionem exanthematum

matum ex voto promoveat, dein quod periculosum statu-  
lem in variolis statum solidissimi medici per purgantia  
curasse testentur. Quod concernit eruptionis promo-  
tionem, notum est istam ut plurimum impedire fibra-  
rum cutis constrictio, quae ab acrimonia materiae mor-  
bificae in initio conciliatur, si itaque per clysteres inte-  
stina emolluntur, per consensum & fibræ cutis rela-  
xantur, ut melior & facillor contingere possit eruptio.  
Sic infans trium annorum incepta variolarum eruptio-  
ne corripiebatur gravi epilepsia, hac per tres dies con-  
tinuata, medicus vocatus percipiebat corpus tumidum &  
quod spatio 5 dierum defecisset alvi apertio, quam ob-  
rem clysterem jussit applicare emollientem, quo facto  
fecibus evacuatis cessabat epilepsia & sequebatur opti-  
ma cum euphoria copiosa variolarum eruptio. Quod  
autem purgantia tali in periculooso variolarum statu  
ubi diarrhoea supervenit, melius agant, quam adstrin-  
gentia, ex eo videri licet, quod vel ab acrimonia insigni,  
vel a variolis in parietibus intestinorum eruptis de-  
pendeat. Adstringentibus autem acrimonia retinetur,  
totique corpori communicatur, hinc certo mors sequi-  
tur. Per purgantia autem acrimonia talis evacuat,ur,  
hoc facto si vires aliquantulum sufficient, sanitas recu-  
perari potest. Purgantibus autem longe præferendi  
hocce in statu sunt clysteres, hi enim absque minima,  
qua metuui potest, noxa, acrimoniiam temperant, & eva-  
cuant, & si mucilaginosa sunt abstersionem & sanatio-  
nem variolarum in intestinis præbent.

## §. XXX.

Sufficient hæcce de usu insigni clysterum testantia

C 3

ex

ex quibus quilibet certo concludere potest noxam clysteres afferre posse nullam, nisi illegitime & indecenter applicantur, quod potissimum fit, si clysteres acres applicentur, ubi emollientes clysteres sufficiunt & acrimonia nocet, & e contrario emollientes adhibentur ubi acres requiruntur. Necessarii autem absolute sunt clysteres emollientes tantum in chronicis alvi obstructionibus, in colica spasmatica, inflammatione intestinorum, calculo, ileo, diarrhoea, dysenteria, febribus acutis, biliosis, purpura & variolis. Si hisce in casibus acria miscentur symptomata magis exacerbantur quam mitigantur. Sic in febre acuta aliquando clyster syrufo de Squilla & salibus acrior redditus, dolores intestinorum, inquietudines, vigilias & calorem insignem post applicationem exhibebat, que omnia iterum cessabant post applicationem clysteris emollientis. Leniter aciores redditi clysteres applicari possunt in obstructionibus alvi chronicis & ileo, si clysteres emollientes exoptatum non praebent effectum. Majori gradu acres propinuantur in colica flatulenta, apoplexia, paralyssi intestinorum & Ascaridibus.

## §. XXXL

Restant nunc quoque dicenda quædam de compositione clysterum humidorum. Basis clysterum utplurimum est aqua, aliquando & lac. Hisce mediante coctione connectuntur tam mucilaginosa quam acria sulphureo salina, post coctionem etiam adduntur vel demulcentia vel stimulantia. Clysteribus emollientibus per coctionem connectuntur mucilaginosa ex radicibus ut, Althæa, asparago, lil. alb., malv., Sarsaparilla. Herbis

bis althææ, verbasc. malv. melilot. mercur. parietar. viol. spinach. Floribus lil. alb. melilot., malv., verbasc., Seminibus, lin., foeni græc., altheæ, malv., hord. Fru-  
ctibus sic. pingu., prun. dulc., passifl. Post coctionem adduntur olea ut lin., lin. alb. item elestuaria ut dia-  
prun., tamarind., lenit. immo ipsum mel, itemque vi-  
tellum ovorum. Leniter acriores redduntur per radic-  
es Glyz. Ir. nostr. & florent. ebuli, foenic. Fol. Cha-  
mom. rom. & simpl., ebul. menth. Flores Chamom.  
acac. aneth. summi. artemis. absynth. Semina laur-  
anif. foenic. carv. quibus post coctionem adduntur sali-  
na itemque saccharum. Fortiori gradu acres existunt  
clysteres per radices, bryon., asari, fibr. helleb. alb. &  
nigr. & purgantia fortiora ut gialapp. agar. colocynth.  
dein post coctionem adduntur majori quantitate syrups  
desquilla fel tauri, borrax venet. aliaque salia media.

## §. XXXII.

Emolliens clyster si praescribendus sequenti for-  
mula proderit

R. Rad. Alth.

Asparag.

lil. alb.

malv. aa. ʒβ.

Hb. Alth.

verbasc.

malv.

melilot.

Flor. lil. alb.

verbasc. aa. mβ. M.F. l. a. Clyster.

Sem. foen. græc.

malv. aa. ʒβ.

Fic.

Prun. dulc. aa. n. v.

C.C.C. inf. qu. aqu. simpl.

R. Colat. 15j.

add. El. diaprun.

Ol. lil. alb. aa. ʒβ.

vit. ov. n. i.

In

In casu necessitatis sumi potest vel decocti hordei vel prunor. dulc. vel lactis 15j. & cum vitello ovorum misceri.

§. XXXIII.

Leniter stimulans clyster sequenti praescribi potest modo

℞. Rad. Glyz.	
Ir. nostr.	
Ebuli.	
Foenic. aa. 3β.	
Hb. Cham. simpl.	
Menth.	
Scord.	
Flor. aneth.	
Cham. rom.	

Summit. artem. aa. m. s.
Sem. lauri.
carv. aa. 3β.
Car. Pingu. n. iv.
C. C. C. in f. qu. aqu. simpl.
℞. Colat. 15. l.
add. ol. aneth.
Sal. gemm. aa. 3ij.
M. F. l. a. Clyster.

In casu necessitatis sumi potest decoctum hordei cum 3β. Sal. comm. mixtum.

§. XXXIV.

Clyster acris sequens esse potest.

℞. Rad. ebul.	
asar.	
bryon.	
fibr. hell. nigr. aa. 3β.	
Hb. Cham. rom.	
Hyslop.	
Poll. mont.	
Flor. aneth.	
Chamom.	
melilot. aa. m. s.	

Agar.
Pulpæ coloc. aa. 30.
Caric. pingu. n. iij.
C. C. C. in sufficient quant.
aqu. simpl.
℞. Colat. 15. j.
add. Syrup. de squill.
borrac. venet. aa. 3j.
M. F. l. a. Clyster.

In casu necessitatis quoque sumi potest 15j. decocti hordei ipsique 3j. salis comm. & fel tauri commisceatur.

S. D. G.


01 A 6543



56.

V018KA12





10

TATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE  
IN SIGNI  
YSTERVM  
TATE ATQVE NOXA,

QVAM,  
ISENSV ET AVCTORITATE  
SI MEDICORVM ORDINIS  
LMA ET PERANTIQA HIERANA  
SVB PRÆSIDIO

HIERONYMI LVDOLF,

F. DECANI, FAC. MED. ET PHIL. ASSESS. ORD. ET PROF.  
PVBL. NEC NON CIVIT. ERFORD. PHTSICI,  
ET FAVORIS SVI OMNI HONORIS  
CULTV DEVENERANDI,

RO LICENTIA

IN ARTE MEDICA HONORES  
RIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME CONSEQUENDI,  
ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
VCTOR ET RESPONDENS

IL. ERNEST. THEODORVS  
RENTSCH, *Vinariensis.*

ORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HOR. CONSV.  
IE VII. NOVEMBR. MDCCXLVIII.

typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.